DE PARTICULA QUIDEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. MENSIS JULII HORA XII.

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

GUILIELMUS GROSSMANN,
DRENGFURTENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AUG. KLEIN, CAND. PHIL.
G. LEJEUNE DIRICHLET, STUD. PHIL.

REGIMONTI

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCLXXX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HENRICO JORDAN

PRAECEPTORI CARISSIMO

GRATIAE ET REVERENTIAE TESTIFICANDAE

CAUSA

D.

SCRIPTOR.

De particula 'quidem'.

De usu particularum linguae latinae etsi a multis et doctissimis quidem viris ut a Madvigio, Bakio, Handio aliisque, ubi occasio data est, disputatum est, tamen nemo continentem particulae 'quidem' eiusque permutationum usum disseruit, ut accurate eum pertractare nobis proposuerimus.

Nec tamen particulae 'quidem' per omnia omnium linguae latinae aetatum monumenta litteris mandata usum sumus persecuti, sed satis nobis esse duximus, sermonis tantum saeculi sexti et septimi urbis atque aetatis Ciceronianae scriptorum consuetudinem respicere et ita quidem, ut Ciceronis particulae usus usui omnium ceterorum scriptorum praeponatur.

Quod autem ad adiumenta ac doctrinae praesidia, quibus usi sumus, attinet, praecipue iis, quae Madvigius in editione librorum 'de finibus bonorum et malorum' et in emendationum in 'Ciceronis libros philosophicos' (Hafniae 1826) libello nonnullis locis ad hanc particulam pertinentia observavit, locum non reliquimus, sed diligenter, quamvis haud crebra sint, in quaestionem nostram convertimus; Handii autem, de quo infra plura dicemus, in Tursellino aut Draegeri in 'historicae linguae latinae syntaxis' particula tertia observationes particulae 'quidem' proprias, cum aut minime materiam effuderint aut in multis partibus, ut infra demonstrabimus, falsa docuerint, facile omittuntur.

Praeterea, quae opera ad quaestionem nostram contulerimus, commentatione, quae sequitur, facile intellegetur.

Sed cum qui de particulae 'quidem' etymologia scripserunt*) certi nihil constituisse mihi visi sint ac particulae originem statuere difficillimum esse putem, ego equidem de hac re desistam, praesertim cum, quaecumque etymologia nobis probatur, in particula 'quidem' inesse quandam vim demonstrativam, quae alia vocabula praemissa premat magisque commemoret, manifestum sit, quaeque notio ei subicienda sit, commentatione nostra demonstretur.

Ceterum autem de particulae 'quidem' origine et accentu vide Corssenii Ausspr. etc. II. p. 22, 641 I. 777, 308 II. 620, 689, quibus locis etiam alii viri, qui de hac re scripserunt, enumerati sunt.

Quoniam igitur habemus aptam eam particulae vim, verborum collocatio quaeratur.

Cum enim in particula 'quidem' insit quaedam premendi vis, ut ad aliquod e compluribus, quod praecipue commemoretur, verbis referatur, secundum naturam enclitica est, ut mirum non sit, si nunquam ab initio sententiae legitur, sed ubicumque reperitur, ei non potest nisi secundarius in oratione locus concedi, ut post vocabulum, quod vel cum accentu effertur, vel premitur, collocetur.

Itaque factum est, ut iam antiquissimis temporibus particula 'quidem' vocabulis non ita multas syllabas amplexis, ut coniunctionibus, quae vel monosyllabae, vel disyllabae, vel summum trisyllabae sunt, adderetur, id quod hae particulae sine ulla dubitatione demonstrant: ac, atque, at, atqui, et, cum, dum, iam, nam, nunc, tum, tunc, pol, si, certe, hercle, sane, immo, nisi, quando, quoniam, quamquam, etsi, edepol, ecastor' et aliae ejus generis. Nec vero ei praecepto ingens illa particulae 'quidem' cum pronomine coniunctionum multitudo repugnat: nam iam apud Plautum longe maxima pars omnium locorum, quibus 'quidem' invenitur, nobis formulas, ut 'hic quidem, is quidem, hoc quidem, id quidem' aliasque, quarum infra in

---

*) Corssen Ausspr. I p. 777, II 839. 855. Krit. Beitr. p. 497 sq. 504. Krit. Nachtr. p. 154 sqq. 167; O. Ribbeck Beitr. zur lere v. d. lat. dart. p. 4.

genere restringenti explicando plures afferemus. Itaque haud raro, quoniam 'quidem' ad pronomen se applicat, id, etiamsi opus non est, saepissime a Cicerone urbano quodam loquendi modo ipsa ponitur, id quod imprimis in genere particulae concessivo praeceptum quasi videtur esse, quo loco de ea re plura dicemus. Ac ne illud quidem neglegendum est, quod 'quidem' ab initio ut brevibus verbis, ita similiter cadentibus, ut 'qui, cum, quando, quoniam', appositum est, de qua re statim infra plura disseremus.

Et summatim quidem haec erant de collocatione particulae 'quidem' dicenda; sed cum singula quaevis persequi et recensere hoc loco haud sciam, an alienum sit, paucis pauca attingemus.

Ac saepissime Cicero nominibus propriis apponit 'quidem' et ita quidem, ut, si praenomen appellatur, 'quidem' post praenomen ponatur: Cat. m. 60: M. quidem Valerium Corvinum. De off. II. 17,59: L. quidem Philippus. de Div. II. 47,78: L. quidem Tarutius Firmanus. item: De N. D. I 23,63 III 34,83 etc. — sin autem, compluribus nominibus propriis deinceps nominatis, 'quidem' ad omnia pertinet, post primum nomen ponatur; ut de Fin. III. 17,57:

Chrysippus quidem et Diogenes dicebant.

Quod autem ad grammaticorum praeceptum attinet, per particulam 'quidem' praepositionem a suo substantivo licere separari, id quidem apud Ciceronem nos legisse non meminimus, sed potius haec exempla: 'apud Lacedaemonios quidem, de primo quidem officii fonte' etc., cum Cicero libenter adjectivum a suo substantivo per 'quidem' separet; ut: 'barbati quidem Jovis, nostri quidem duces populo quidem Romano' itemque saepe. Sed cetera de particulae collocatione suo loco dicentur.

Quae quidem particula apud Ciceronem tot locis tantaque varietate usurpata invenitur, ut facile ac ne injuste quidem putari possit, 'quidem' esse unum ex gratis vocabulis a Cicerone redundanter positis. Sed praecipue, cum ego Ciceronis de oratore libros legens tertium quodque, in epistulis quartum quodque 'quidem' cum pronomine relativo coniunctum invenerim, nescio equidem, an Cicero alli-

terationi studuerit, cum, ubicumque fieri potest, particulam 'quidem' pronomini relativo adjungat. Huc accedit, quod Cicero non modo iuxta pronomen relativum, sed etiam iuxta alia vocabula aut a littera 'q' aut 'c' incipientia posuit quorum saepissime leguntur 'quam ob rem, quando, quoniam, quamquam, cum' nec raro tria deinceps vocabula, quae a littera 'q' vel 'c' incipiunt, ut: De. Or. II. 69, 71: 'qui quidem quo' Brut. 137, 'quorum quidem quae'; Partt. orr. 22, 74: 'in quibus quidem quae; Lael. 4, 14: 'qui quidem quasi'.

Itaque mihi alienum esse non videtur, de discrimine, quod inter epistulas et disputationes philosophicas rhetoricosque libros est, pauca dicere. Et in epistulis quidem Cicero, ut supra dictum est, in quarto quoque exemplo 'quidem' cum pronomine relativo, in nonnullis libris philosophicis in sexto quoque coniunxit: saepius enim vel in decimo vel in undecimo vel decimo et tertio quoque legitur, ubi autem conjunctio particularum 'et-quidem' relativi usum plane supplet, praesertim cum 'qui quidem' haud raro idem quod 'et is quidem' valeat.

Praeterea autem pronominis relativi et particulae 'quidem' compositionem illam quidem nihil veterrimam esse, sed Ciceronem eam solum tam saepe posuisse idque posteris aetatis annis, cum monumenta linguae latinae ante Ciceronem litteris mandata, percurremus, facile in promptu erit.

Itaque cum retro usque ad litterarum scriptarum initia respiciemus, quomodo antiquissimi scriptores particulam 'quidem' usurpaverint, nec negari, eam particulam veterrimam illam quidem esse, et dici potest eam multo rarius quam posteris temporibus atque in oratione attenuatissima inveniri: nam, varium illum particulae usum et multiplices eius compositiones, quae nobis apud Ciceronem occurrunt, quae orationem terminant atque finiunt, quae variant et distinguunt verborum continuationem, ut varietate et vigore quodam oratio afficiatur et insit in ea quidam sine fuco elegantiae color, in antiquissimorum auctorum reliquiis inveniri, facile nemo est, qui exspectet.

Cum enim vetustis omnium populorum temporibus

contemplationes essent simpliciores et nudus eorum, quae animo informabant, nexus, mirum non est, etiam orationem incomptiorem fuisse, ut in antiquissimis et Graecorum et Romanorum scriptoribus praecipue capita sententiarum, ut ita dicam 'enuntiationes coordinatae' conectantur, quae enuntiationi maiori addita sunt sive 'enuntiationes subordinatae' plerumque desint. Quae cum ita essent, ei, quoniam verborum vincula tamquam mortarium non desiderabant, particulas initio illi quidem rarissime ponebant, intermisso autem temporum intervallo, cum et rerum copia et varietate sententiarum abundarent, simplices illas enuntiationes amplificantes in verbis et eligendis et collocandis et comprehensione vinciendis aptae et quasi rotundae constructioni studebant.

Atque quoniam, quae disputávimus, non ex nostro potius sensu, quam ex veritate expressa esse, cum omnium aetatum linguarum tum particularum latinarum historia satis superque declarat, equidem longe creberrimae particulae historiam paucis verbis in medium proferam, quae rem nobis, de qua agitur, paene sub oculos subiciat.

Atque cum antiquissimorum linguae latinae scriptorum, qui saeculo sexto et septimo fuerunt, pusillae reliquiae eaeque, id quod maxime dolendum est, depravatis lectionibus traditae sint, etsi argumentum firmissimum, quod refutari non potest, ut nec coniecturis nec aliis sententiis locus esset, proferre difficillimum est, tamen, quoniam quidem in omni disputatione, quid sit verisimile, praeter cetera quaerendum est, a vero non multum discrepare contendo, usum particulae 'quidem' secundum reliquum eius aetatis sermonem varium non fuisse.

Cn. Naevius, poeta ille saeculi sexti primus, quod quidem et comicorum et tragicorum reliquiae demonstrent, particulam 'quidem' usurpavit, sed ita usurpavit, ut rarissime et in simplicibus, quae repetuntur, figuris inveniatur: in ejus enim fragmentis uno loco 'quidem' legimus, quem formula illa 'si quidem' posteris temporibus saepissime dicta, obtinet, quae quidem formula, quoniam apud Catonem quoque in librorum de re rustica reliquiis nobis occurrit, facile antiquissima nominari potest, praesertim cum postea

duae particulae una scribantur, quasi 'si quidem' compositum non esset.

Q. Ennius particulam 'quidem' bis posuit et in annalibus quidem (cf. frgm. 486. ed. Vahlen) 'dum quidem', quam formulam infra explicabimus, in tragicorum autem fragmentis (cf. Ribbeck Enn. frgm. 402) vis particulae restringens invenitur, ut novi aliquid nobis non praebeat.

Sed multo magis varius apud Plautum et Terentium particulae usus reperitur, qui jam subtilissima particulae 'quidem' significationum discrimina definiunt et multas habent figuras, quibus Cicero postea rationem artemque attribuit. Attamen et apud Plautum et apud Terentium, quamvis ab iis usus rationes auctae sint, ut, cum ab iis, quos modo nominavimus, auctoribus unum aut duo usus genera scripta viderimus, decem fere genera legamus, in iis figuris particula, quae ad sermonem comoediae familiarem pertinent videtur.

Plautus quidem imprimis compositiones, quas in comoediis maxime quaerimus, ut summae admirationis, quae plerumque similibus verbis iam admirationem significantibus amplificantur ut 'sane, profecto, hercle, certe' aliisque eiusmodi particulis, praebet.

Porro autem Plautus saepissime formulam illam supra commemoratam 'si quidem' posuit, sed ita, ut 'si quidem' idem ac nostrum 'wenn' nec idem quod particula 'quoniam' aut 'quando', id quod praeter ceteras, ut infra intellegemus, significationes Ciceronis aetate haud rarum est, valeat praeter unum locum, qui invenitur in quinquagesimo altero ad Poenulum prologi versu, ut haud sciam an is particulae usus alteri Poenuli septimi urbis saeculi recensioni, quam Th. Hasper in libello de Poenuli plautinae duplici exitu (Lips. 1868) ostendebat, argumentum addat.

Praeterea autem aliae compositiones non desunt ut 'nisi — dum — nam — quoniam — quando — et — ac — quidem' quibus compositionibus infra plus loci dabitur et saepissime pronominibus cum personalibus tum demonstrativis, ut formulae quasi fixae interdum videantur, apposuit.

Nec praetermittendum est, etiam Plautum 'quidem', nisi fallor, triciens iuxta pronomen relativum posuisse, id quod alliterationis studio factum est, cum in Bacchid. IV. 9,58 ad eam progressus sit alliterationem, ut in eo versu quinque vocabula a 'q' et 'c' incipientia alterum alteri succedant: ad lacrumas coegi hominem castigando maleque dictis, quae quidem quivi comminisci.

Sed tamen Plautus et Cicero in ea re multum inter se differunt, cum apud Plautum varietas significationum nec ejus compositionis nec aliarum particulae coniunctionum inveniatur, sed eadem verborum series repetatur, ut quasi formulae fixae, ut supra diximus, sint, cum Cicero orationem, quotiens fieri potest, particulae aliam vim et significationem tribuens, variet et distinguat.

Atque quoniam de Plauto satis dictum est, nunc ad M. Pacuvium et Statium Caecilium ejusdem fere aetatis scriptores veniamus, qui, cum eorum pusillae sint scriptorum reliquiae et particulae usus idem sit ac Plautinus, dixisse satis est, 'quidem' apud Pacuvium nunquam, apud Statium Caecilium quater et quidem bis 'nam-quidem', semel 'nisi quidem' semelque 'quidem' pronomen demonstrativum premens inveniri.

Ac ne P. quidem Terentii comoediae nobis maiorem usus particulae varietatem praebent, cum Terentius, praeterquam quod non tam saepe quam Plautus particulam 'quidem' posuit, eadem usus genera, quae apud Plautum iam intelleximus, usurpaverit; id quod et in fabularum argumentis et in oratione positum est.

Praeterea autem Terentium, cum pronomini relativo septiens 'quidem' apposuerit, alliterationis causa in versu octavo actus scenae alterius secundi Andriae quinque vocabula a 'q' incipientia

'Quibus quidem quam facile potuerat quiesci si quiescet' et in fabula, cui inscriptum est 'Heautontimorumenos' (I. 2, 19) quattuor iuxta posuisse, verisimile est:

'Quid relicuist quia habeat, quae quidem in homine dicuntur bonas.'

Nec aliter Titinius, qui eodem fere tempore fabulas

togatas composuit, cum multum, quod quidem ad sermonem attinet, ad familiarem illum Plauti se applicaverit, particulam usurpavit, ut locorum trium, in quibus 'quidem' legitur, primo (frgm. 7) exemplum particulae cum pronomine relativo coniunctae, altero formulae cum admiratione dictae, tertio pronomen demonstrativum prementis afferatur.

Atque in Sexti Turpilii quidem fabulae palliatae eiusdem aetatis poetae reliquiis, ubi particula 'quidem' quater reperitur, praeter 'te quidem, si quidem, quando quidem, hic quidem', quas compositiones iam cognovimus, nihil novi praebetur.

Restat, ut de L. Accio, L. Afranio, C. Lucilio poetis, qui saeculo septimo fuerunt, pauca dicam, quoniam nec in certis nec in incertis eorum fragmentis novas particulae usus rationes invenimus: Accius quidem particulam bis, Afranius nunquam, C. Lucilius ter usurpavit.

Sed non modo poetarum, qui sexto et septimo urbis saeculo fuerunt, reliquiae memoriae nostrae traditae sunt, sed etiam solutae orationis scriptoris fragmenta nunc leguntur eaque

M. Porcii Catonis, cujus omnium, quae prosa oratione scripta sunt, operum praeter alias reliquias de re rustica liber plenus ille quidem, sed depravatus nec integer ad nos pervenit, in quibus reliquiis particulae 'quidem' duo loci sunt, iique in oratione pro Rhodiensibus habita, quae nobis in Originum libri quinti alterius capitis initio prodita est: 'Atque ego quidem arbitror' et in libri de re rustica capite centesimo quinquagesimo septimo formulam 'si quidem' 'wenn' significantem legimus, ut illam formulam antiquissimam esse nimium dictum non sit.

Quibus rebus expositis, quoniam particulae 'quidem' historiam usque ad Ciceronis tempora breviter complexi sumus, nunc, quomodo et carminum et solutae orationis scriptores, qui aut eodem tempore atque Cicero aut postea usque ad Augusti aetatem scripserunt, particulam 'quidem' usurpaverint, paucis exponam.

Cum igitur in sexti et septimi saeculi scriptorum reliquiis non magnam particulae 'quidem' varietatem viderimus,

a Cicerone, qui, vocabulis absoletis remotis verbisque novatis, orationem quasi purgans eique splendidum illum elegantiae habitum tribuens tanta variatio particulae usus effecta est, ut eandem illam esse non putemus.

Quibus temporibus nobis tam multi tamque varii scriptores occurrunt, qui, quod quidem ad particulae 'quidem' usum attinet, magni et diversi momenti sunt, cum alter ad alterum usus genus se applicet.

Quamobrem id primum, si placet, videamus, qua ratione M. Terentius Varro 'particulam quidem' in iis, quae ad nos pervenerunt, scriptis posuerit. Is enim, ut in omnibus fere rebus, quae et ad rem publicam et ad familiarem pertinent, sibi constans ad priscorum temporum institutiones se applicabat, ita, quod ad sermonem attinet, quoniam saepe vocabulis tum inusitatis usus particulas multo rarius quam alii eiusdem aetatis auctores posuit, particulam 'quidem' haud saepe et in simplicibus quidem temporis pristini compositionibus admittebat.

Atque in libris, quos de lingua latina Varro scripsit, 'semel 'quidem' legimus idque l. IX. c. 33 (Sp.)

'Ego quidem utilitatis causa orationem factam concedo; sed ut vestimentum'; nam ceteri, in quibus invenitur 'quidem', loci depravati emendandi sunt.

Ac primum quidem codex Florentinus, de l. l. V 4. hanc lectionem praebet:

'Vias quidem iter, quod ea vehendo teritur, iter iterum, actus quod agendo teritur.'

Codex Havniensis 'Vita si quidem iter'. Pauci autem Varronis editores 'via quidem iter', plurimi, in his L. Spengel, 'via si quidem iter' legi volunt. Carolus autem Odofredus Mueller pro 'vias quidem iter' positum fuisse 'via sicut iter' coniecit, ex qua coniectura L. Spengel 'über die critic der Varronischen bücher d. l. l.' (Abh. d. k. bair. ac. d. wiss. l. cl. VII bd. II abth.) id unum probat, quod Mueller ex verbo 'iterum' 'iter' restituit. Ac codicis Florentini collatio a Lagomarsini facta sequitur lectionem: 'via similiter, quod ea vehendo teritur, iter itu; actus quod agendo teritur, quam lectionem muta-

tam, L. Spengel l. c. quod Varro 'similiter' nunquam ita usurpet, reiciendam esse arbitratur.

Sed quoniam compositionem 'si quidem' ante Ciceronem nihil aliud nisi 'si' pressum significare, supra demonstravimus, et apud Ciceronem praeter 'si' idem ac 'quoniam' aut 'ut exemplo utar' germanice redditum 'zum Beispiel' valere explicabimus, facile nemo est, qui, quin lectio 'vias quidem' aliaeque, quae ad locum emendandum excogitatae sunt, non minus reiciendae sint quam 'si quidem', dubitet, cum sub hac voce 'si quidem', quae sit subicienda sententia, nemo intellegat. Itaque, cum 'si quidem' eo loco legi non liceat, proximum est, ut mendum scripturae huic loco subiectum esse contendamus. Neque enim difficile nobis videtur esse, veram restituere lectionem, si subtilius scripturam codicis 'via si quidem' vel 'vias quidem' intuemur.

Sed prinsquam in verae scripturae argumenta inquirimus, quam veram existimemus lectionem, nobis praemittendum esse, videtur: putamus enim hoc loco, hanc esse aptissimam lectionem 'via sic item, quod ea vehendo teritur, iter itu; actus quod agendo teritur'.

Quoniam enim in antiquis codicibus litterae vocabulorum deinceps succedentium non distrahebantur, facile scriba non attentus pro 'sic item' 'si quidem' legit, praesertim quidem cum in antiquis manuscriptis 'item' et 'idem' inter se permutata fuisse iam Ritschelius in proll. ad Plautum p. 84 satis docuerit, ut a scriba, cui 'sic item' formula nota non erat, 'si quidem' scriberetur.

Quodsi porro scriptura 'idem' pro 'item' omissa, quaestionem ponimus, eane particularum 'sic' et 'item' coniunctio reperiatur, respondendum est, eam compositionem omnes Caesaris belli Gallici codices (B. G. I, 44) praebere.

Sed ut eam verborum compositionem inusitatam non esse demonstremus, omnium primum id, utrum Varro eam vel aliam eiusmodi formulam usurpaverit necne, perscrutari nos necesse est. Quodsi igitur Varronis de l. l. libros persequimur, et paucis verbis interiectis, in eodem capite quarto, in quo depravata lectio 'si quidem' invenitur et

innumerabilibus fere praeter hos locis similis nobis occurrit particula 'sic' cum pronomine relativo coniuncta.

Sed longum est ineumerabiles illos locos, in quibus 'sic' vel 'item' legitur, afferre, quoniam nec iis locis nec illo Caesaris satis demonstratur, etiam Varronem ea formula usum esse. Quae quidem res ut evidentior sit, liceat mihi formulam 'sic item' paulisper consideremus, quoniam non ita longa demonstratione opus videtur esse.

Atque Handius in Tursellino p. 523 'sic item' commemorans nihil aliud dixit, nisi 'sic item' ne coniungatur, nulla impedit causa, cum significet 'sic eodem modo', quibus verbis exemplum illud ex Caesaris commentario primo allatum addidit. Ac ne Wicherto quidem l. c. p. 418. exemplum illud ex Caesaris commentariis afferenti, quoniam, utrum id sit unicum necne, in medio reliquit, aliud ejus generis exemplum notum videtur esse.

Eam autem explicationem satis non esse facile perspicuum est, praesertim cum unum exemplum attulerit; sed eam formulam multo saepius inveniri, exempla apud Varronem ostendunt. Varro enim cum in III de r. r., tum in V de l. l. libris particulas et 'sic' et 'item' saepissime et multis quidem in compositionibus, quas omnes Handius l. c., quod ad 'item' attinet, satis non explicavit, utitur.

Quae particulae idem significantes aut juxta scribuntur aut ita, ut nonnulla interponantur vocabula, ut exempla ostendent. Significationem autem formulae Handius recte explicavit, cum dixit, idem esse ac 'sic eodem modo', quae verba nostrae formulae 'ganz ebenso' respondent, quibusque verbis addendum est, 'sic item' et 'ut' 'wie' significanti respondere et 'ut' neglecto legi, ac plerumque aut in initio aut in fine sententiae positum esse.

Quae res ut exemplis comprobetur agite afferamus ut de l. l. VI, c. 8 (Sp.) VII, 2, 67. VIII, 38, 120 IX, 19, 132. IX, 32, 138.

Interposita sunt inter 'sic' et 'item' pauca verba de l. l. V, 38. VI, 7, 66. VIII, 39, 122. IX, 47, 147. 59, 154.

In III de r. r. libris formula 'sic item' non legitur.

Nec praetermissurus sum hoc loco 'item sic' simi-

lem particularum compositionem, praesertim cum Handius eam neglexerit, quae idem ac 'sic item' valens invenitur: de l. l. VI, 7, 70, de r. r. I, 22, 5.

Et 'item sicut' legitur de l. l. IX, 59, 154.

Atque haec quidem hactenus, videamus nunc, quomodo alter locus, quo 'quidem' codices praebent, scribendus sit. Alter enim locus invenitur de l. l. VII, 3, ubi legitur: 'Apud Lucilium quidem',

Thyno capto corium excludunt foras etc.

Codex Florentinus et Havniensis hoc loco 'apud Lucilium quidem' lectionem praebent, Turnebi codex 'apud Lucilium Quidam', 'apud Lucilium' reliqui.

Etiamsi is particulae 'quidem' usus apud Ciceronem, ut infra videbimus, haud rarus ille quidem est, sed Cicero ad rem illustrandam notumque inducendum virum prae ceteris particulis in exemplis proferendis 'quidem' usurpat, tamen, si Varronis scribendi rationem contemplabimur, 'quidem' hinc esse reiciendum, verisimile est. Varro enim nec in libris qui ante hunc locum nec qui postea scripti sunt, umqam id exempli afferendi genus posuit, sed vulgo 'quidem' omisit, ut innumerabilibus quasi locis legamus aut 'Lucilius Ennius, Plautus' aliaque scriptorum nomina aut, id quod saepius, invenitur, 'apud Ennium, apud Plautum, apud Naevium' et ne semel quidem 'apud Ennium quidem', ut admiratione quadam afficiamur, quod eo loco 'quidem' appositum est.

Sed magnum est discrimen inter Varronis de lingua latina et de re rustica libros, cum Varro in libris de re rustica particulam et multo saepius et multo magis varie posuerit: nam in tribus libris quattuordecim, nisi fallor, locis 'quidem' codices praebent, etiamsi in Schneideri scriptorum rei rusticae editione ter 'quidem' reiectum est. Quamquam autem 'quidem' non saepissime legitur, tamen iam usus genera inveniuntur, quae apud Ciceronem haud rara sunt, ut 'quidem' in elevationis illa formula aliisque transitus, quas enumerare longum est, formulis reperiamus: porro autem 'si quidem' item quod 'quoniam' sive 'nam', in quinto libri alterius capite in reprehensione restringens usurpatur.

Ac ne coniunctio illa quidem particulae cum pronomine relativo Varroni haud nota est, nam compluribus locis eam aut legimus, aut codices praebent, quamquam ab editoribus, ut supra diximus, interdum repudiata est. Sed, siquidem Varronis scribendi rationem et in libris de lingua latina et de re rustica scriptis subtilius perscrutabimur, is particulae usus nobis mirabilis non videbitur, quoniam cum alia verba, quae eundem sonum referunt, tum ea, quae a littera 'q' incipiunt, libentissime iuxta posuit, id quod multa ostendunt exempla ut de r. r. I, 1. Quare quoniam. ibd. 4, 1: quam quod etc. etc. de l. l. V, 1: quae quoniam. ibd. quemadmodum quodque. ibd. quam quae. ibd. quae quod quattuor.

Itaque tribus locis iisque III. 7, 6; 7, 7; 16, 5 causa mihi esse non videtur, cur editores particulam pronomini relativo oppositam reiecerint, praesertim quidem cum omnibus locis et codices has lectiones praebeant, et verbis clara et satis bona subiciatur sententia.

Atque iisdem fere temporibus D. Laberius, mimorum poeta, scripsit, cuius reliquiae, cum pusillae sint nec quidquam novi, quod ad amplificatum particulae usum attinet, praebeant, non magni sunt momenti: in iis enim 'quidem' semel cum pronomine relativo coniunctum apud Nonium 64, 11 legitur, cum altero loco, quem apud Nonium 84, 13 legimus, 'si quidem' Fleckeisenus commendavit.

Atque transeamus ad Caesarem, qui, cum praeter Ciceronem illius aetatis scriptorum praesertim orationis solutae princeps et pro amplis commentariis et pro scribendi venustate rarissime posuerit, — nam in VII de bello Gallico commentariis tredeciens, in tribus de bello civili libris octiens particula 'quidem' usus est — particulae usum plane non amplificavit. In commentariis enim de bello Gallico scriptis tribus locis particulae vis illa adversativa, quam apud Ciceronem haud raro particulae subiectam esse intellegemus, semel idque VII. 77, 14, idem ac 'tamen' valet, semel 'si quidem' 'da ja' significans reperitur; ter vis restringens ei subiecta est; reliquis autem tribus locis 'quidem' cum pronomine relativo coniunctum

est, qua compositione transitus causa res praemissae explicantur.

Nec aliter particula in tribus de bello civili libris legitur: quattuor enim locis iisque II. 17, 2; 32, 11. III. 56, 2 ibd. 74, 2 'quidem' idem fere atque ,autem' valet; ex quattuor, qui supersunt, locis duo explicant; unus III. 66, 7 (item explicans) 'quidem' pro 'nam' praebet:

'Ita complures dies manserant castra; munitiones quidem omnes integrae erant.'

In octavo autem Hirtii de bello Gallico libro nihil aliud nisi 'non quidem' invenimus et ita quidem, ut pronomen demonstrativum, quod Cicero inter particulas 'non — quidem' interponit, omissum sit; ut praef. VIII, 2. VIII, 41, 5.

Atque belli Alexandrini auctor 'quidem' quater posuit ita, ut duobus locis id quod ante dictum est, evolvatur, duobus particulae 'quidem' vis subiecta est adversativa.

Jam vero belli Africae auctor 'quidem' semel ita usurpavit, ut oppositum justam habens formam legatur idque in capite nonagesimo: 'se eis duntaxat vitam concessurum; bona quidem eorum se venditurum'.

Nec praetermittendus est belli Hispaniensis scriptor, apud quem semel ,utinam quidem' legimus.

Quibus rebus expositis restat, ut paucis dicam, Caesarem particulam cum pronomine relativo quattuor locis coniunxisse, quos accuratius hoc loco perscrutari aptum esse mihi non videtur.

Quodsi autem rursus totum contemplabimur particulae 'quidem' in Caesaris commentariis usum, nobis satis erit perspicuum, Caesarem a Cicerone plane differre, cum rarissime ac simplicissime Caesar 'quidem' posuerit, ut copia illa usus generum, quae apud Ciceronem inveniuntur, desideretur.

Sed longe aliter de Cornelio Nepote iudicandum est. Is enim particula 'quidem' saepissime, plurimisque locis Ciceronem imitatus, usus ille quidem est, sed tamen usus varietatem non praebet: nam ex locis, quibus legitur

'quidem' undetriginta quindecim compositione cum pronomine relativo, quattuor cum coniunctione 'cum' obtinentur, ut alterum quodque exemplum 'quidem' cum pronomine relativo conjunctum praebeat, omnia cetera usus genera decem amplectantur locos. Itaque praeter ea, quae modo commemoravi, usus genera apud Cornelium Nepotem hi loci inveniuntur: praef. 4: at-quidem; quidem-sed (tamen) Chabr. III, 4. Epam. IV, 6. Eum. I, 1 (non ille-sed); restringens particulae significatio Attic. XIV, 1; adversativa notio Con. II, 2 et Phoc. II, 5. utinam quidem Eum XI, 5. -- quidem pro ‚et'-vel ‚ac-quidem' Them. X, 3; istud quidem Epam. IV, 4; quae genera usus suo quoque loco accuratius explicabimus.

Atque etiam minorem varietatem T. Lucretius Carus in sex de rerum natura libris effecit, cum, nisi fallor, de viginti quinque locis, ubi invenitur particula 'quidem', undeviginti exempla compositionem 'quando quidem' praebeant: II, 969. 980. 1087. 1191. III, 457. 471. 557. 831. IV, 100. 166. 346. 393. 1225. V, 145. 580. VI, 47. 492. 958. 1035. Alia autem usus genera legimus, ut adversativam vim I, 1001; ('quidem vero') III, 1078; IV, 853; explicativam III, 905, V, 901, VI, 80 ('quam quidem'.)

Ac ne C. Sallustius Crispus quidem multo magis quam Lucretius particulae usum variat, quoniam quidem in scriptis, quae exstant, decem et septem locis particula 'quidem' usus et genus explicativum compluribus formulis — ut C. 15, 3. Quae quidem; J. III, 2; nam quidem; C. 31, 9. H. 41, 15 'quoniam quidem'; H. III, 61, 28: 'si quidem' — et genus restringens posuit; pronomini autem relativo particula 'quidem' ter appositum est.

Sed quoniam omnes aetatis Ciceronianae scriptores, qui particulam 'quidem' posuerunt, persecuti sumus, restat, ut breviter de C. Valerio Catullo dicatur.

De eo idem fere, quod supra de Lucretio diximus, dicendum est: nam item, ut Lucretius, Catullus saepissime pro exemplorum numero 'quando quidem' dixit; ex sex enim exemplis quattuor 'quando quidem', unum 'et-

'quidem', unum 'quidem' cum pronomine relativo coniunctum praebent, id quod nescio an Lucretii imitatio habenda sit.

Sed priusquam ad singula particulae usus genera transimus, alienum esse mihi non videtur, prima Ciceronis iuvenis opera ejusque orationes persequi, ut, quomodo initio scriptionis particulam 'quidem' usurpaverit, intellegamus. Quodsi igitur prima Ciceronis scripta rhetorica percurremus, statim praeter cetera compositionem illam particulae et pronominis relativi paullatim conformatam esse intellegemus: nam in primis ejus juvenis operibus ut in libris, qui de inventione scripti sunt, non modo non semel ea formula invenitur, sed ne omnis quidem particulae usus, ut quidem postea est, perfectus est, sed exiguis finibus continetur; id quod perspicuum est, cum omnia fere, paucis exceptis, exempla genus illud particulae continuativum, quod in revocatione legitur, demonstrent. Quodsi cum eis primos de philosophia libros et eum qui Oeconomicus inscribitur et Platonis Protagoram conversum conferemus, idem atque in illis libris inveniemus. Ac ne illud quidem neglegendum est, quod Cicero in èis epistulis, quas et ad Atticum et ad familiares usque ad annum urbis sexcentesimum nonagesimum quartum scripsit, 'qui quidem' non usurpavit, id quod fortasse casui non tribuendum est. Nec aliter in orationibus, quas usque ad eum annum habuit, res se habet: nam, si orationum voluminum magnitudinem respicimus, orationes viginti sex ante 694 habitas in Halmii editione paginas septingentas fere nonaginta quinque, orationes triginta postea habitas sexcentas sexaginta quattuor complecti videbimus, ut facile longiores orationes, quas ante 694 habuit, fuisse intellegatur. Attamen in primis illis orationibus 'qui quidem' formula multo rarius quam in posteris invenitur, ut, si numerare placet, in illis 'qui quidem' circiter viginti sex, in his circiter centum et duobus locis legatur, ut, si viginti sex formulae 'qui quidem' exempla singulis orationibus attribuuntur, in unaquaque oratione semel, in posteris plus quam ter inveniatur. Sed etiam, si hunc explicandi modum omittimus, omnis particulae

usus in orationibus sine ulla dubitatione particulam 'quidem' paullatim amplificatam esse demonstrat. Namque in primis orationibus 'quidem' rarissime inveniri omnibus legentibus modo perspicuum erit, si particulae 'quidem' loci cum particularum 'ne — quidem' locis comparabuntur. 'Quidem' enim in oratione pro P. Quinctio habita sexiens, 'ne quidem' viciens, in oratione pro Roscio Amerino habita septiens, 'ne quidem' viciens sexiens, in divinatione in Caecilium quater, 'ne quidem' noviens, in prima in Verrem actione quidem semel, 'ne — quidem' quater, libro primo secundae in Verrem actionis 'quidem' undeciens, 'ne — quidem' undeviciens legitur. Itaque numeri continuantur usque ad annum centesimum fere nonagesimum quartum: nam ab oratione pro Flacco usque ad orationes Philippicas, oratione de domo excepta, centum fere viginti locis saepius 'quidem' quam 'ne quidem' reperitur, ut etiam ea re demonstretur, particulam 'quidem' magis magisque amplificari. Ac ne illud quidem omittendum est, quod 'quidem', quoniam raro usurpatum est, multo minus quam in posteris scriptis a Cicerone eleganter positum est: in primis enim orationibus saepissime cum pronomine relativo conjungitur aliisque, quos iam apud scriptores ante Ciceronem cognovimus, modis usurpatur, cum postea oratio magis varietur ac definiatur, id quod, cum ibi planius explicare mihi aptum non videatur, suo loco exponam.

Ac ne minus quidem ab ea quaestione abhorrere etiam epistulas ad Ciceronem scriptas persequi, non ratus, inveni in his nonaginta epistulis bis particulam 'quidem' cum pronomine relativo coniunctam esse idque ad Fam. VI 7, 1 et ibd. XI 13a, 5.

Quibus rebus expositis nobis omnes, quos percurrimus, scriptores paulisper contemplari liceat: tum enim videbimus, particulam 'quidem' saepissime a Plauto et Terentio et Cicerone, rarissime a Varrone, Sallustio, Caesare positum esse; id quod haud scio an aliud demonstret, nisi 'quidem' particulam esse sermonis et familiaris, utpote in comoedia et in Ciceronis epistulis invenitur, et philosophici vel rhetorici, ut apud Ciceronem nobis occurrit, quae modo rem

definit atque terminat, modo rem affirmat et conformat, modo orationem continuat, ut multis locis idem atque ,enim' significet.

Nec minus apertum est, si paulisper in hac re moramur, particulae 'quidem' usus varietatem a Cicerone, ut supra attigimus, conformatam esse: nam cum parvus ille apud scriptores et ante Ciceronem et apud ejus aequales particulae exemplorum numerus et angustus ille, quem vidimus, usus satis superque, id recte dictum esse, ostendunt. Cicero enim, ut id praecipiamus, et multas novas particulae 'quidem' significationes subiecit, id quod infra de quidem concessivo, 'siquidem', 'et quidem' aliisque locis in commentatione inveniemus et multas copulationes ante eum non repertas ut 'quoniam quidem', verum quidem in revocatione' innumerabilesque illas quidem concessivi, quas infra videbimus, formulas, 'quidem' et cum particulis 'igitur ergo' aliisque eius generis et cum 'quamquam 'etsi' similibusque coniunctum addidit multasque alias variationes, de quibus infra plura dicemus, linguae latinae attribuit.

Qnod autem ad usum particulae attinet, etsi nihil est in linguarum ratione difficilius, quam particularum vim ac potestatem perspicere destincteque declarare, tamen mihi quidem id conari in animo est et totum usum sex capitibus attribuere optimum videtur esse, ut primum quidem particulam restringentem, deinde explicativam, tum concessivam, tum continuativam, denique affirmativam, postremo adversativam expositurus sim.

Et quoniam 'quidem', quamcumque etymologiam veram esse putamus, 'so gerade, so eben' vel 'eben' videtur significare et prae ceteris particulis ad vocabula premenda apta est, iam apud antiquissimos scriptores ei particulae vim restringentem subiectam esse omnibusque, quae nominavimus, usus particulae generibus implicari facile intellegetur, id particulae genus primum explicare nobis esse optimum videtur.

Ponitur igitur particula 'quidem' cum sensu restringenti summatim, ne sententia praemissa amplissima sit aut latissime pateat, sed ut is, qui iudicat, in re aliqua explicanda sibi aliquid excipiat atque sententiam temperans

restringat. Sententia autem tum quidem plerumque notione adversativa est, ut particula per 'wenigstens' reddatur.

Cuius usus, cum facile plurima exempla apud Ciceronem inveniri dicere liceat, nesio an ita factum sit, ut Cicero, quoniam quidem magis magisque non suo iudicio iudicavit, sed, ubicumque fieri licebat, id retinuit, sententiam suam quasi modestiorem redditurus ac restricturus, ei 'quidem' addidit; id quod aetate procedente paene in dies saepius fit. Ceterum autem haec vis in omnia fere particulae usus genera transit, ut recte, eam apud Ciceronem esse propriam, dicere mihi liceat.

Nec multo aliter in aliorum auctorum scriptis se habet res, cum omnes fere vel plurima huius particulae usus generis exempla praebeant, ut facile recte dicatur, eam particulae 'quidem' significationem omnium veterrimam esse, neque, ut quidem Forcellini totius latinitatis lexici editores videntur putare, affirmativam.

